

Jesu Christi ætate, ut Chaldaicum vel Syriacum unis tantum viris doctis reservaretur; Jesum Christum, Apostolos, & Judæos omnes Jerosolymæ versantes Græcè tantum locutos. Sed unde, quæso, Evangelistæ Hebraicas quasdam vel Syriacas voces tamquam à Jesu Christo prolatas non semel referunt (y)? Unde S. Paulus ad Judæos in Templo pro concione loquens Hebraicè vel Syriacè perorat (z)? Unde Paraphrasis Chaldaæ paulò post Jesu Christi ætatem in favorem populi Græco eloquio rudis adornata.

Quòd tamen rationes negantium scriptum Hebraicè à S. Matthæo Opus directè petamus; reponendum est primò, ea, quæ in testimonio Veterum repugnantia animadvertuntur, in speciem tantum sibi ipsis averfari. Idem enim Textus variâ ad diversa tempora & personas, quæ illo utebantur, relatione spectatus à se ipso difformis, variis Authorum testimoniis unus idemque sufficit. Primò enim integer erat, purus, sacer, & assertæ fidei; deinde nonnullis additionibus minoris momenti & fidei sublexta interpolatus est; quomodo in manibus Nazæorum usque ad quartum sæculum mansit. Simul tamen, exeunte priori sæculo corruptus est malâ fide ab Ebionitis; atque in Hæreticorum manibus spectatum Opus velut Hæreticum, Apocryphum & nullis autoritatis rejudicium est ab Ecclesiis. Hinc variis Authorum sententiis & opinionibus occasionem unus idemque Textus præbuit.

2. Quæ de Græco sermone tanquam in Palæstina eodem tempore vernaculo feruntur, veritati prorsus non coherent. Jesum Christum Hebraicè locutum ex ipso Evangelii testimonio intelligimus. 3. Græca Hebræorum nominum expositio scriptum Græcè Evangelium ita planè demonstrat, quemadmodum nomina Hebræa Græcè sive Latine in Genesi reddita scriptum Græcè vel Latine Opus minime persuadent. Quin & contraria omnia eo argumento probantur; non enim Hebræorum nominum in altera lingua interpretatio alio consilio adjicitur, quam quòd Græci Interpretes vim nominum, de quibus in Originali, totam volunt Lectoribus pandere.

4. Magis quidem ad intentum in speciem serviunt ea, quæ de laudatis sententiis Veteris Testamenti juxta Versionem Septuaginta animadvertuntur; quo unico argumento, si veritate constaret, aliquid sanè, non quidem omnia convincerentur; cum fieri optime potuisset, Interpretrem Textu Septuaginta veluti omnium probatissimo utendum sibi censuisse, pro eo quòd S. Matthæus Hebræum laudaret. Sed hæc veritati non constant. S. Matthæus non verba plerumque sed Prophetarum sensum usurpat; & ex decem sententiis V. T. ab eo relatis, septem (a) ad Hebræum magis quam ad Septuaginta accedunt. Tres tantummodo Septuaginta respondent (b); sed illæ vicissim cum Hebræo congruunt; ut proinde cum Septuaginta, & cum Hebræo convenisse perinde habeantur. Con-

sule S. Hieronymum in Catal. Script. in. Matt. qui luculenter observat, S. Matthæum non Septuaginta sed Hebraico Codice uti.

Cum itaque de Evangelio Hebraico S. Matthæi agendum est, quòd æquivocatio omnis tollatur, tempora & personæ sedulo distinguenda sunt. Purum namque putumque ex Evangelistæ manibus exiit, & ex puro pariter probatæque fidei Autographo jam inde ab initio Græcæ Latinaque Versiones derivatæ sunt. Dein Christiani hebraizantes sive præpostero zelo, sive infeitia, sive præsumptione adjicienda sibi quædam bonâ fide censuerunt; quæ nimirum illos ex Fidelibus, qui Jesum Christum norant, & ex Apostolis didicisse contigerat. Is Exemplaris status in manibus Catholicorum Nazæorum diutius mansit, apud quos scilicet non integrâ quidem fide sanctæque Depositi illud servatum est; quamquam non ea esset corruptio, quæ rejiciendum prorsus Librum, & è manibus Fidelium detrahendum suaderet.

Ex ipso Ecclesiæ Nazæorum sive Christianorum hebraizantium cœtu secessionem fecit priori sæculo exeunte & ineunte secundo ingens hæreticorum turba, divinitatem Jesu Christi & Mariæ Virginitatem negantium, quibus etiam erroribus plura & maximi planè momenti adjece- runt. Erroribus suis fulcendis inferendum sibi detrahendumque in Evangelio S. Matthæi, quod unice plerique probabant (c), upote præ cæteris omnibus sibi conducens, inferendum, inquam, susceperunt, quidquid præjudicatis singulorum opinionibus maxime censerent opportunum. Itaque idem prorsus Evangelium, quod in Nazæorum manibus laudatur probaturque, penès Ebionitas rejeatum velut Hæreticorum commentum damnatur. Ne verò Scriptum illud à quoquam agnosci contingeret, neve doli mali Hæretici illi, tanquam genuini Textus interpolatores, convincerentur, personatum titulum nomenque addiderunt, appellantes: *Evangelium duodecim Apostolorum, Evangelium S. Petri, Nazæorum, vel Ebionitarum Græcæ.*

Non est igitur cur admiratione aliquâ teneamur, si Hebraicum Evangelii hujus Exemplar nostrâ ætate penitus intercederit, cum interpolari illud dilucidè aded contigerit. Semel verò Ebionitarum fraude corruptum, cum nullis prodesset Catholicorum usus, negligi ab Ecclesia jure meritoque par fuit. Plus aliquid cautionis in servando Evangelio Nazæorum adhibitum est; sed cum turba hominum esset infrequens, ac tandem veluti Hæretici ipsi pariter haberentur, quòd Legibus ceremoniis plus nimio inhaerent; tandem factum est, ut ipsi pariter cum Evangelio suo evanescerent. Rari erant Catholici, qui Hebræum istud Exemplar intelligerent, sive qui uti illo possent, vel si maxime possent, voluissent. Græco potius inhaerendum sibi censuerunt, cujus asserta erat autoritas, seu Versionibus è Græco adornatis; id enim conducibilis visum est, quam ut ad Hebræicos Codices

y 'Matth. 27. 46. Mar. 14. 36. & 5. 41. z Act. 21. 40. & 12. 2. & 26. 14.

a Vide Matth. 1. 23. & 2. 6. 15. 17. & 4. 10. 15. & 8. 17. b Matth. 3. 3. & 4. 4. 7.

tes corruptos planè, vel saltem maxime suspectos confugerent.

Nihil Rabinorum autoritatem moramur, quorum sententiâ piaculare est Sacros Libros aliis, quam Græcorum literis tradere. Bellam sanè objectionem! cum tandem de facto aliquo, ut impræsentia, agitur, unanimis Veterum omnium assensus, qui vidisse, legisse, verendum suscepisse, revocasse in examen vetus illud Originale asseverant, majoris ponderis habendus est, quam deductæ ex rerum convenientiâ Scriptorum nostræ ætatis ratiocinationes. Neque intentum convincit si quis asserat, veterem illum Hebræum Textum, Origeni, S. Hieronymo, aliisque visum, è Græco Originali expressum fuisse; neque enim hæc asserenda tantum, sed etiam solidis adductis rationibus fuerant demonstranda.

Versio Græca, quæ sola nostrâ ætate superest, & post Hebræici Originalis amissionem originalis habetur, ad ipsa Apostolorum tempora spectat. Temerè prorsus, & nonnisi divinando quidam tribuunt S. Jacobo Episcopo Jerusalem (d), S. Joanni Evangelistæ (e), S. Paulo (f), S. Barnabæ, S. Luca, atque ipsi tandem S. Matthæo, qui opus suum Hebræicis, Græcisque literis consignavit. Inter tot ambigua id unum constat, Versionis hujus sine controversia vetustissima certum Authorem ignorari. Papias apud Eusebium (g) tradit, plures fuisse, qui pro modulo suo verendum sibi Græcè opus susceperint. Incertior adhuc reputandus est Author Latine versionis ex Græco ab ipso Ecclesiæ exordio adornatæ, quod nos in superiori Prolegomeno demonstravimus.

Illum maxime scribendi finem spectasse S. Historicum S. Augustinus observat (h), ut scilicet regale genus J. C. & humanam ejus inter homines conversationem describeret. Id enim suarum esse partium potissime duxit, si gesta omnia, & institutiones J. C. referret, in quibus sapientiam ipse suam cum majestate aded temperasset, ut exemplum exhiberet imbecillitati mortalium accommodum. Neminem ex Evangelistis præ illo singillatim singula percussisse S. Ambrosius animadvertit; addens simul, neminem vitæ normam & morales institutiones maxime naturæ humanæ J. C. conformes præ S. isto Evangelistâ expressisse (i). Eundem locum inter Evangelistas tenere ait S. Petrus Damiani (k), quem Moyses inter Scriptores V. T. utriusque enim primas deferunt, illi inter Veteris, huic inter Novi Fœderis Scriptores.

Cum S. Matthæus opus suum auspicaretur, inter Apostolos, & Judæos magna illa questio agitabatur, utrum Christus Messias habendus esset? Utrò quidem dabant Judæi, Christum è Maria parente natum Bethleem prodixisse, Nazareth innuitum, Davidicum genus referre. Norant omnes tum predicationis illius, cum mortis historiam; sed Filium Dei, Messiam, & è virgine parente natum esse, pervicacius negabant; ejus prodigia magis deputabant, tanquam seductorem denique Legisque everforem accusabant. Accusabant & Apostolos, tanquam malæ fidei testes, & qui furtim sublatò Præceptoris cadavere è mortuis furxerisse illum venditarent.

S. Matthæus contra illos J. C. Divinitatem asserit, è virgine parente fatum, ac tandem venisse illum non evitendæ Legi, sed perficiendæ demonstrat; ejus verò prodigia neque humano artificio, neque magicis præstigiis tribuenda; quin potius cum rara essent & Divina, argumentum ex illis deduci inconcussum, quòd verum esse Messiam J. C. demonstraretur. Hæc operis idæa.

Si Evangelium istud cum cæteris conferratur, rerum gestarum seriem aliter ab illo, atque apud alios dirigi statim apparebit; quod mirè torquet Chronologos, & Interpretes. Alii temporum ordinem secutum Scriptorem; alii verò neglectum ab illo autumant; facilius enim unus ordinem temporis, quam tres invertisse credentur. Accedit huic opinioni suffragium ex S. Marco, qui in reliquis S. Matthæum historiæ ducem sequutus, alium tamen chronologiæ ordinem servat.

Unde verò hæc in Matthæum? Casuane illud vel ex industria? Incertum planè. Sunt qui meditato consilio id affectasse S. Scriptorem credant (l), ut plures, veluti sub uno conspectu historiæ argumento servientes poponeret, quòd Judæos incredulos magis magisque revinceret. Malunt tamen alii, hanc ordinis inversionem, fortuito casui (m), ex tumultuaria schedarum S. Scriptoris collectione tribuere. Quæ si vera sint, oportet sanè post S. Marcum contigisse; facile enim S. Marcus ordinem chronologicum, quem in Exemplari S. Matthæi, unde Evangelium suum expressit, secutus est. Quomodo- cumque tandem res habuerit sese, nos in Chronologia nostra atque rerum serie deducendâ S. Marco, S. Luca, & S. Joanni ita inhaerimus, ut à S. Matthæo post cap. 4. 22. usque ad 14. 13. penitus recederemus.

d Alban. seu alius in addit. ad Synopf. e Theophylact. prefat. in Matth. f Anast. Synaita serm. 3. in Gen. A Luca, & Paulo. g Ap. Euseb. l. 3. c. 39. Hist. Eccles.

c Iren. l. 1. c. 26. & l. 3. c. 11.

h Aug. l. 1. de Confess. Evangel. Vide & Tertull. de Carne Christi c. 22. Vide & Theophylact. Progm. in Matth.

i Ambros. Praefat. in Luc. k Petr. Damian. serm. de S. Matthæo.

l Vanila

m Toynarda Prolegom. ad Harmon. c. 2. p. 5.